Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 135
Quelle:
Copyright:

ſtico, et morali Genealogiae Servatoris. Succeſſu temporis ſpatiis vacuis Codicis alia adſcripta ſunt. Ita p. 1. legas:

Signa crucis. textus. frons. os et denique pectus
Accipito et cauſis ſingula redde ſuis.
Predicat ille crucem. remouet crucis illa pudorem.
Os petit errorem, pectus abeſſe dolum.

Textus formula eſt, quam profert, qui ſe cruce ſignat, atque *Textus ille* crucem praedicat. *Tò illa* frontem notat. Reliqua patent. Subjicitur Oratio: *Preſta queſumus domine huic famulo tuo dignum penitentie fructum. ut eccleſie tue ſancte a cuius integritate deuiauerat peccando. admiſſorum ueniam conſequendo reddatur innoxius.* Atque haec manu Codici coaeva. Serius acceſſit ead. p. *Legenda de ſancto Zenone epiſcopo* diſtributa in VI. Lectiones, quarum initium: *In diebus Galieni imperatoris in provincia ytalia erat beatus Zeno ſedens in monaſterio in ſecretiori parte opidi veronenſis* &c. et finis: *intus aqua minime intrauit. Tu autem domine &c.* Manifeſte contractae ſunt hae lectiones e Vita *Zenonis* ſcripta a *Coronato Notario* poſt plures Editiones exhibita ab *Henſchenio* in *Act. SS.* T. II. *April.* ad diem 12. p. 70. Item *fol.* 2. absque ulla inſcriptione Vita S. *Gothardi* Ep. *Hildeſienſis*, cujus initium: *Gothardus confeſſor domini et Epiſcopus venerandus iuxta Altaenſe monaſterium ex eiusdem eccleſie familia* &c. *Godebardi* Vitam a *Wolfherro* diſcipulo ſcriptam poſt *Browerum* edidit idem *Henſchenius T. I. Maji* ad diem 4. p. 502. ſed fuſiorem illam; praemittit vero, duo etiam apud ſe eſſe ejus *Compendia*, quorum alterutrum facile fit praeſens noſtrum, quod per tres exaratum columnas et *fol.* 3. abruptum completur demum *fol.* Codicis *ult.* his verbis: *in manibus torturas et gyppos omnibus videntibus monſtrabat.* Quae *l. cit.* leguntur Vitae C. 5. n. 33. p. 513.

LXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 50. 4. per tres columnas bene ſcriptus, et olim, ut Formula typis excuſa in fronte docet, anno videlicet 1540. ab *Job. Fabro Vien.* Ep. donatus Studentium Collegio, quod ad D. *Nicolaum* condiderat, continet *Evangelium Matthaei* ita, ut Columna media Textum ipſum grandiuſculum cum *Gloſſa interlineari*, laterales vero *Gloſſam ordinariam* ſiſtant jam ampliorem, jam vero contractiorem ea, quam nunc in *Bibliis gloſſatis* impreſſis legimus. Expoſitio in praevium *Hieronymi* Argumentum: *Matthaeus ex Judaea ſicut in ordine primus ponitur* &c. plane a dictis *Bibliis* abeſt, et incipit: *Cum multi ſcripſiſſe euange-* U. 60